Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1477
Quelle:
Copyright:

III. *fol.* 125. *Incipit liber de blasfemia. XII. in ordine*, videlicet Summae Theologicae *Wiclefi*. Initium: *Restat succincte de blasfemia pertractandum* &c. Ut alibi. Ad calcem: *Explicit tractatus de Blasfemia secundum Johannem. Wy.* XII.

CCCXCIII.

914 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 184. 4. minutius scriptus rubricisque distinctus in *Bohemia* exhibet: I. *Commentaria in Cantica Canticorum* minio inscripta: *Incipit epistola super exposicionem cantica canticorum Salomonis.* Hujus initium: *Dilectis et prudentibus viris fratribus et amicis carissimis ceterisque sanctis omnibus Johannes christi seruus salutem dicit et pacem in domino sempiternam. Postulauit discretio vestra, ut librum exposicionum canticorum salomonis olim amissum vobis studeam renouare* &c. In progressu meminit Commentator X. *Omeliarum Origenis* in Cantica, quas non vidit, nec legit. *Post hunc fuit alter Petrus nomine, qui exposicionem canticorum uersificando in paruum librum conclusit.* Atque hic *Petrum de Riga* ejusque *Auroram* intelligit. Expositionem ita orditur: *Osculetur me osculo oris sui. Inter deum et genus humanum propter peccata primorum parentum temporibus multis discordia permansit.* &c. Quod assertum nemo facile probet Theologus. Varia deinceps carptim de malis Praepositis, pravis Praedicatoribus, et iis, quorum nomina Lectores sui jam nossent, item de iis, *qui altissimam paupertatem, quam assumpserunt, in manifesto violant pecuniam occulte possidendo* &c. quae et alia *Wiclefi* φρασεολογιαν produnt, *Wiclefi* tamen etiamnum moderatioris, unde in Peroratione ait: *Rogo vos autem karissimi, quicunque estis presbiteri in templo dei, ne propter meam iuuentutem contempnatis banc doctrinam christi.* Interim Expositio haec in VII. *Libros* tributa inter rarissima ejus habenda est, neque scio, quid secutus *Baleus* initium ei statuat: *Confitebor tibi domine quoniam*, si tamen ei de *Canticis Canticorum* res est, et non potius de aliis *Canticis sacris.*

II. *fol.* 29. Ejusdem Tractatus *de Blasphemia* absque inscriptione. Init: *Restat succincte de blasfemia pertractandum. Est autem blasfemia* &c. Ut alibi. Subscriptio: *Explicit hoc opusculum circa penthecostes sub anno domini 1432. w strach.* i. e. in timorem. Accedit amplus Index.

III. *fol.* 102. p. 2. *Incipiunt nomina librorum M. Joh. Wycleff iuxta ordinem alphabeti.* Ordo hic non Titulos, sed Initia Librorum respicit. Ut alibi. Daturus fuissem totam hanc Βιβλιογραφιαν, si quid integri illa promitteret; sed absterruere, quae calci adjecta sunt: *Sciendum quod multi sunt alij libri, quorum hic nec nomina, nec principia ponuntur, ut postilla super biblia, Proprium sanctorum, Commune sanctorum*